

1928 K 944

Bs.

25 47

MODERATORE SUMMO
FORTUNANTE!

CORONAM,

31

EJUSQUE ORIGI-

NEM, ET QUIDDITATEM,
ex Historicorum monumentis

mente lustrandam,

publicè sistit

PRÆSIDE

M. SIMONE FRIDERICO

FRENZELIO,

Amplissimæ Facult. Philosoph.

Adjunct.

MAGNUS Gärtner / Nortkopingâ

Svecus,

In Auditorio Majori,

ad d. 9. Octobr. H. M.

A. R. S. cl. Ioc LXVII!

VVITTEBERGÆ, Literis Johannis Haken,

1667



Optatis Numen successibus orsa
coronet !

§. I.

SI operæ pretium videtur aliis, Judæorum intueri calceamenta, Romanorum lustrare capillamenta, aliaque subinde rimari vetustiorum vestimenta, aut ornamenta, integrum nobis erit, admirari CORONAM, rem omnium pulcerrimā: Non n. abjectioris ea conditionis, a. in trivio nata est, fortisq; vulgaris, sed verò divina, augusta, & eminentioris dignitatis, DEO hominibusq; amabilis.

II. Natalia vocis præcedunt ipsarum rerum auspicia. Eam derivat *Faber in Thesauro* p. 339. à græco κορωνίς, h. e. consummatio, & κορώνη, curvamen, sive summitas arcûs, citato hanc in rem *Paschalis*: Ex quo descendit coronis penes Latinos, notans rostrum navis, finem, apicem, sive operis cujusdam, absolutionem; *V. Cælius* l. 8. c. 41. ac in proverbium abiit, coronidem addere, i. e. summam manum operi imponere: Ut *Martialis* l. 10. si nimius videor serâque coronide longus esse liber. Translatum n. est à navibus, quibus quoddam rostri speciem gerens addi solet. Aliis placet vocem coronæ deducere à cboro, utut aspiratione careat, ac cum antiquioribus nuncupare stropbiū, à στεφάνη, vertere & per diminutionem stropbiolū: imò sertum à serendo: apud græcos audit στεφανῶν: Id in discrimine intercedere videtur inter istas voculas, ut quædam strictiori gaudeant sensu, quædam latiori: Corona n. in genere accepta, majoris latitudinis est, quàm ut nuda referat ferta.

III. Communis corona est, & sacris & profanis: solennis honori DEI hominumque, patet in libro *Scriptura & Nature*, & si quæ sunt alia præterea Historicorum monumenta: Gratiōsa est promissio, Numinis propitii, ad præsens pertinens se-

A 2

culum

culum in Ps. 65. 12 : Benedices coronam anni benignitatis
 tuæ : & gloriosa est, ad futurum referenda seculum, promissio
 coronæ immarcescibilis justitiæ 2. Tim. 4. 8. coronæ vitæ, A-
 poc. 2. 10. quam de manu Domini, instar diadematis speciei,
 juxta Hieronymi verba, accipient fideles, Reges in Spirituales,
 & candidati gloriæ celestis. In naturâ v. quanta ibi vocis hu-
 jus diversa occurrit significatio? Cœlum si intuearis stellatū,
corona australis & septentrionalis fiuntur oculis : de quâ poste-
 riori fabulantur Poëtæ, Ariadnâ dono accepisse illâ à Theseo,
 inde nupsisse Libero patri, & post ejus mortem Liberum co-
 ronam in cœlum collocasse. Aliis aliter sentientibus. Conf.
 Excellentiss. Mathematici & Historici D. Simuchii, Patroni
 nostri colendi, *Astrognosia* ; Et cum radii solares, lunares, a-
 liusq; cujusdam stellæ majoris, in nubem sparguntur subje-
 ctam, *corona circa solem, lunam, a. aliam stellam* majorem ap-
 paret, quæ in cōmuni dicitur halo. V. Sperling. desideratissimi,
 Præceptoris olim optimi, *Synopsis l. 5. c. 10. p. 181. & instit. super*
b. l.

IV. Temetipsum v. si ingrediaris, homo, consumma-
 tissimum mundi compendium, quot coronis ornavit partes
 nobiliores tuas benigna natura? Pars capitis inter sinciputē
 & occiput media, circa quam coronas flectimus, *corona* Na-
 turæ Mystis nominatur : Quâ ratione *coronalis futura* habe-
 tur, in eo, anterior illa futura cranii ab uno temporum of-
 se ad alterum transversum perveniens : ac *os coronale*, quia cir-
 ca eam capitis partem flectuntur coronæ : Quid ? quod ex-
 tremus capillorum ambitus *corona* salutetur : Oculus, artifi-
 ciosissimum illud videndi organum, *coronam* etiam exhibet
 luculenter, eâ in parte, in quâ universæ tunicæ simul com-
 mittuntur : crystallinus humor in vitreum inferitur, & me-
 dius in ipso, q. in aquâ vehitur, eodem propè modo, quo
 sphaera globusve, cujus dimidium extra aquam prominēt : hæc
 humorum connexio in crystallini medio hæmisphærio, in u-
 troq; humore circulum unum efficit, quod terminus est finis-
 que omnibusq; oculorum tunicis : desinunt n. omnes ad cir-
 culum

culum eundem, ubi nigro oculi iungitur album, & propterea coronam vocarunt, sive *cor*, ab arcibus cœlestis similitudine *Coronalis vena*, veniens à magno trunco venæ cavæ sursum ascendens, accingens cordis basin in modum coronæ: nec non *coronata Stomachica*, proficiens à ramo splenico venæ cavæ & ad stomachum lata, ramo majore, instar coronæ stomachum totum cingens; evolvuntur plenius ab Anatomicis, & Medicis, *Castello in lexico medico, absoluto per D. Ravensteinium, p. 118. 119. & Joh. Gorrao in descript. Medicis p. 431.* Ut silentio præteream brevitas, quæ totius negotii meta, studiosus, accipi coronam insuper mox pro conventu hominum circumstante, mox urbium præ se ferre nomina, ut in Transylvaniâ & in zazynto insulâ, in Messenii sinûs initio, quo de *Cotovicis in itinere hyeropol.* p. 610 urbes sitæ sunt, æqualis hujus denominationis.

V. Evitaturi nos omnem prolixiorẽ ambiguitatẽ vocis, rem contrahimus in præsentẽ descriptionem: **Corona** est ornamentum capitis humani, ex certâ materiâ in formam eminentiorem redactum, & ad singularem dignitatem, honorem, affectum aut statum referendum, impositum.

VI. Auspiciã dicere coronæ, eamq; à primâ deducere originẽ, & ad unum certum determinare auctorem, arduum est ac difficile, historicis in diversas abeuntibus partes. Ferunt, (loquor cum *Plinio histor. nat. l. 15. c. 4. p. 695.*) primum omnium Liberum patrem coronam imposuisse capiti suo ex hederâ. Postea Deorum honori sacrificantes sumpsere, victimis simul coronatis. Novissimè & in sacris certaminibus usurpatæ &c. At non temerè inhærendum Gentilium commentis, ubi sacrorum exemplorum nos provocat autoritas: si non tempore alio priori coronæ initia sumpsere, certè Mosaico, scriptoris indumenti sacerdotalis & Pontificalis, autoritatis divinæ; in quam rem *Josephus l. 3. antiquitatum judaicarum c. 8. p. 48.* sequentia affert: Pileo, quali cœteri sacerdotes

notes utebantur, sc. Pontifex utebatur: super quem extabat
alius confutilis ex hyacintho variatus, hunc aurea corona
triplici ordine circumdabat, in qua spectabatur calix aureus,
qualem videmus in herbâ, quæ apud nos vocatur daccharus,
apud Græcorum herbarios hyoscyamus: Et post descriptâ
herbæ illius formam infert auctor: Ejusmodi corona ab occi-
pitio circum tempora utraq̃ procedebat. Nam frontem
limbus non ambiebat: sic n. vocetur calix, sed lorum quod-
dam latum aureum, quod sacris characteribus Dei nomen in-
cisum habebat. Utut Ælianus l. 15. Janum omnium primum
coronas reperisse, ac idèd multas civitates Italiæ ac Siciliæ in
pecuniæ suæ alterâ parte eû bicipitè, alterâ coronam cudere.

VII. Descriptionem datam cum evolvendam ingredi-
mur, occurrit omnium primò *conceptus convenientia*, qui est
ornamentum, cum latior coronâ sit, eiq̃ essentialis, à vesti-
mentorum genere distinctus: Et maneret, cum addito: *or-
namentum capitis humani*, communis conceptus respectu alio-
rum capitis ornamentorum: sed ratione habitâ aliorû, in a-
liis partibus corporis humani conspicuorum, ad *conceptum
differentia* subjectum hoc quo, caput humanum, revocandû
foret: subjectum quod n. est, homo. Et istum *conceptum* absol-
vunt cætera momenta deprompta à *materia, formâ, ac sine.*

IIIX. Determinare materiam coronarum, haut licet:
plerumq̃; tamen ea desumpta est aut è regno *mineralium, a. ve-
getabilium*: Ex auro confectas Pontificis: indigitavimus mo-
dò: Ut verò supremæ dignitatis in Ecclesiastico statu signa
fuere illa: ita transierunt æque cum gloriâ in ordinem Poli-
ticum, impeditura summa imperantium, a. principum per-
sonarum capita: Non defuere argenteæ suis temporibus:
Crassus Dives, primus argento auroq̃; folia imitatus, ludis suis
coronas dedit, teste *Plinio l. 21. hist. natur. c. 3 p. 978.* Imò confe-
ctæ dein sunt è lamina æneâ tenui inauratâ a. argētata, quæ
propter gracilitatem corollæ dictæ, referente *eadem l. c. 2.*
Ac è regno vegetabili varias usq̃ue materias coronarum ac-
cessitas fuisse, præ cæteris ibidèd cōmemorat *Plinio* his verbis:
Tenu-

Tenuioribus utebantur antiqui, strophia appellantes: unde nata strophiola. Quin & vocabulum ipsum tardè communicatum est, inter sacra tantū & bellicos honores coronis suū nomen vindicantibus. Cum v. è floribus fierent seræ, à ferendo seræ appellabantur: quod apud græcos quoq; non adeò antiquitus placuit. Arborum n. ramis coronari in sacris certaminibus, mos erat primum. Postea variari cœptum mistura versicolori: florumq; invicem odores coloresq; accendere Sicyonii, ex ingenio Pausiæ pictoris atque Glyceræ, coronariæ dilectæ admodum illi, cum opera ejus pictura imitaretur, & illa provocans variaret, essetq; certamen artis & naturæ. Et paulò post: sic coronis è floribus receptis, paulo post subière, quæ vocantur ægyptiæ, ac deinde hybernæ, cum terra flores negat, rameto è cornib9 tincto. In quæ verba editio Pliniana Dalechampii hæc annotat: Idem fit hodiè peninis gallinarū albis, cujusq; floris & colorem & figuram imitantibus: idem fit charta picta ac concisa, singulos flores representante. Idem fit & à Vestalibus, præsertim Italicis, fericeis filis germanum floris colorem, nativamque figuram exprimentibus. Deniq; Plinij l. c. c. 3. mentionē facit coronæ rosaceæ: ac foliis nardi constantis: Et l. 13. c. 9. florū spinæ coronis jucundum prædicat: l. 15. c. 10. pineā coronā victores apud Isthmum coronari; l. 15. c. 29. Posthumium Tubertum myrto coronatum incessisse, l. 16. c. 3. Romulum frondeâ coronasse Hostum Hostiliū, & cū quercu, quali coronā inferos deos & Parcas, juxta Catullum, cinxere, variatum esse, narrat. Sic triumphalis primum ex lauru fuit: oleagina erat victorum in Olympico stadio: myrtea ovantium: liberatorum obsidione, graminea: quæ de in genere Pontanus in progymn. 20 l. 3. p. 573. ita: Corona graminea nulla fuit nobilior in majestate populi terrarum principis, præmiisque gloriæ.

IX. Variante igitur materiâ, variant coronæ: nec forma illarum externa fisti adeò potest, quin excurrunt ex modò alti9, mox subsident capiti propiores. In eo conveniunt singulæ, ut emineant, & surgant in sublime. Finis pari ratione diversus existit: commodè tamen revocari poterit vel ad dignitatem
sum-

summam aut ad minimū præcipuā sive in ordine Ecelesiastico
sive politico obtinendum, vel affectum animi, vel certū sta-
tum libertatis, a. captivitatis, latabilem sive illatabilem, vitæ
necisve, denuntiandum. Ex quorum enodatione primaria
coronarum diversitas, & divisio generis in certas species pro-
manat sponte, exhauriens totam illarum latitudinem, per se
satis amplam.

Superpondia historica.

I. Coronam ne carpito.

Divus Hieronymus adversus Rufinum inter-
pretatur, urbium leges observandas esse, non
violandas, quod urbium turrata mœnia coro-
narum speciem præbeant.

II. Coronam quidem gestans, ceterum siti perditus.

In lurconem & remulentum aptè torquebi-
tur, quiq; obligurità re redactus sit ad inopiam,
ex mente *Erasmi Roterodami in chiliad. adagiorū*
p. 319. Ariostophanes in Equitibus; quemadmo-
dum Connas coronam quidem gestans aridam,
verum siti perditus. Taxat a. Cratinum Comicū,
tanquam ebriosum & delirantem.

III. Corona tractationis est historice.

Objectum n. historiæ sunt res gestæ: quæ ve-
rò natalia habuerit corona, quos successus, est rē
gestam describere, & memoriam coronarū cele-
brare; Historia quippe nil aliud est, quā habitus
mētis philologicus, quo rerum gestarum insi-
gnium memoriam cōplectimur.

WITTENBERG, Diss., ERG. B. D.,
1. 1612/1667

ULB Halle

3


005 377 20X



nicht verbewerten

W 177

Wilb. Felger
Buchbinderei
Bismarckstr. 8



Inches
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

K 944

DRE SUMMO

NANTE!

ONAM,

E ORIGI.

IDDITATEM,

m monumentis

randam,

cè sistit

ESIDE

FRIDERICO

ZELIO,

cult. Philosoph.

junct.

rtner / Nortkopingâ

ecus,

rio Majori,

obr.H.M.

o Ioc LXVII.

iteris Jobannis Haken,

667

25 47

31